

1669

11.

EXAMEN ORDINANDORUM

PUBLICATUM QUIDEM ANTE BIENNIVM, JAM V. AD DESIDERIUM
multorum, Typis exscriptum.

8.

ΧΑΙΡΕΙΝ καὶ ΕΤΑΙΑΓΕΙΝ,



Rnatiſſimis Dnn. Studiosis, qui ad Sacrum Ministerium adſpi-
rant, ut certò conſtet, quibus in partibus ante Ordinationis ri-
tum examinabuntur, viſum fuit Examina iſta, quibus ſeſe ſub-
mittent, indigitare, ne ignorantiam excuſatione levent, quaſi non
noverint, in quibus examinari debebant. Erit autem EXAMEN

I. LINGVARUM, quod requiret ab illis cognitionem
LINGVÆ LATINÆ, & quidem exactam, ut ſine mendis & lo-
qui & ſcribere ſciant: GRÆCÆ v. mediocrem, ut quaꝝ vel totius
Novi Testamenti, vel ad minimum pericoparum Evangelica-
rum resolutioni poteſt ſufficere: Sed HEBRÆÆ illam (ſi non datur ultrà) quaꝝ
vocabulum Hebræum, quoad radicem in Lexicis investigare, & ita in propriam
eius ſignificationem inquirere valet.

II. ARTIUM INSTRUMENTALIUM & PHILOSOPHIÆ:
in ILLIS probè exercitati erunt, in HAC v. didiciffe tenentur præcepta PHYSI-
SICÆ, MATHÆSEOS, (præcipuè quoad Arithmeticam, Geometriam, Primum
Mobile, Geographiam, Computum Ecclesiasticum,) ETHICÆ, POLITICÆ
& OECONOMICÆ, quantum Ministerii Candidato ex dignitate & uſu vide-
tur neceſſarium.

III. RERUM SACRARVM, in lectione BIBLICA, LIBRIS SYM-
BOLICIS & plenioribus aliis LOCIS THEOLOGICIS, (thesin veram ut ſciant
recitatore ac defendere, nec non Antithetin refutare,) Item in HISTORIA EC-
CLÆSIASTICA, potiſſimum Novi Testamenti, quoad Concilia œcumēnica, præ-
cipuos Doctores & Hæresiarchas.

IV. CONCIONIS DOCIMASTICÆ, ſi prius induſtriam ſuam
in Collegio concionatorio non probaverint, In hiſce ubi probè exercitati vi-
taquè integræ fuerint, tanquam commodi Operarii, (præviâ Vocatione) ex be-
nedictione divinâ, ſpelargioris fructus, in Vineam Domini mittentur.

Qui ex Dnn. Studiosis concionandi veniam deſiderant, ut Suis & Pa-
rœciæ, in qua nati & educati ſunt, (ſed non in aliis ſine ſpeciali indultu,) hoc ſa-
cro exercitio ſeſe ulterius commendent, prænominata hæcce Examina etiam
ſubibunt, licet eadem ab illis non requiratur in omnibus perfectio, quaꝝ à Dnn.
Sacri Ministerij Candidatis ſperatur.

Quod v. attinet Examens illorum qui in Officio publico ſunt, & aliam
functionem ambiunt, tenentur quidem & illi, juxta priora ſtatuta, ſpecimen ali-
quod in hiſce partibus deponere; ſed ita, ut Examen LINGVARUM, ARTIUM
INSTRUMENTALIUM & PHILOSOPHIÆ ſit brevius, in unâ vel alterâ quaſi
ſtūculâ in qualibet parte & ſcientiâ, S. S. THEOLOGIA v. accuratius, præfer-
tim in LECTIONE & ANALYSI BIBLICA.

B.V. ABOE, DIE 3. MAI, ANNO MDCLXIX.

JOHANNES GEZELIUS, D.
EPISCOPUS ABOENSIS.

Милюкин и сло'и изаже

MENTAL TESTS

JOHANNES GESTINS D.